

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter ipsa an
te mulieres omnes scientie prece
lente: puto quod intelligit quod aiad
nent. Na alie quide partes gra
mervenerunt. ipa ante plena
gra ab angelo salutata. **Hec an**
telus. Oro. Illuc viga vesse
florida et fructifera maia vir
go btissima. de qua vincto ille
et singularis flos et fructus pro
dit. qd virtutu spualium gme eru
pit: flos suavissimo emittens
odorem: fructus sapidissimo in
mitens dulcore. flos cuius voi
tas expellit mesticia: fructus
cuius sacietas vlena dat leticia
Bndicta viga de radice vesse:
victus et flos: qd de tali ra
dice ascendit. Bndicta arbor bn
dite et arboris fructus. Tuo er
go flore me recrea: tuo fructu
ab omni miseria me libera: vigo
maia in eternu bndicta. amen.

De receptioe iohis bap^{te} Ca. iiii

Vit autem in di
ebus illis salz
in diebus hero
dis regis in dec.
sacdos quida
noie sachaias

de pace abia: et uxor eius noie

quatu ad observancia ceremonialium:
sine qrela. quatu ad observancia
iudicialium: qz pacifice se ad proxi
mos habebant. Et no eat illis
filius ppt stilitatem: q est causa
specialis muliei. Ex quo appaet
deceptio pcursozis miraculosa: qz
no fuit tantu p natura: sed per
natura gra divina adiuta. **T**
Iste herodes de pre ydumeo de
cendens fuit alienigena: et ia cep
trum ablatu fuit de iuda: et
ideo tempus adueto xpi instabat: qz
iacob patriarcha spu pp hetico sig
nu aduetus xpi pdirent. qm reg
nu iude ad alienigena translatum
ess diceb. Non auferet ceptrum
de iuda zc. **T** Et sciendu est hic
q cu moyses vnicu instituisse su
mu sacerdotem. cui mortuo vnus p
ordine succedet: dauid volens n
pliac cultu domo dmi. de xxiiii fa
milijs q descenderat ab aaro in
stituit vigin quatuor sacerdotes: su
per quos tm vnus maior eat et su
mus oim: q dicebat princeps sac
dotu. Instituit etia ut vicissim mi
nistrates p ebdomada a sabbo
vsq ad sabbatu tepoe vias sue
singuli castimoie student: nec
interi in domu ppam intraret:
sed in domuculis circa templum

msw. 08/11

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Samelband mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter auch
einige mathematische.

Herman. Comringus

c. 13. 13. c. XL.

F. III. 6.



29

Disputationum Physicarum
S E C V N D A.

De

SCIENTIÆ RE-
RVM NATVRALIVM, SVB-
IECTO, DEFINITIONE, DIVI-
sione, earumq; principijs,

Ad quam

Auxiliante D E O,

In Inclyta I V L I A,

Sub Præsidio

M. SVENNONIS IONAE
MODERI SVECI.

Respondebit

BALTHASAR CHRISTIANI
Schnedtlingensis Saxo.

Die 13. Augusti hora & loco consuetis.

HELMÆSTADII,

Excudebat IACOBVS LVCIVS, Anno
c1o 1o cv.





AMPLISSIMO,
PRVDENTISSIMO, DO-
CTRINA ET PRAECLARIS VIRTU-
tibus praedito viro, Domino CHRISTO-
PHORO à LIPPE hæreditario
in Dersem.

Item

EXCELLENTISSIMO IVXTA AC
FLORIDISSIMO VIRO-IVVENI,
Dn. HENRICO Böttichern/

*Fautoribus ac promotoribus suis perpetuò
animi studio colendis.*

Hanc suam disquisitionem Physicam
in debitæ obseruantiaæ σύμβολον,

dedicat offert & consecrat

Respondens

Balthasar Christiani Schnedt-
lingensis Saxo.





Disputationum Physicarum
S E C V D A.

De

SCIENTIAE RERVM NATVRALIVM,
SVBIECTO, DEFINITIONE, DIVI-
sione, earumq; principijs.

Respondente

BALTHASARE CHRISTIANO

Schnedlingensi Saxone.

THESIS I.

Superiori disputatione, modum per quem ho-
mines in occultarum rerum cognitionem per-
uenerint, & vnde Philosophiæ nomen, quotq;
huius partes essent, declarauimus: Sequitur
nunc vt partes ipsas penitus introspeciamus,
& naturam singularum inuestigemus.

2. Rerum itaq; naturalium contemplatio propter iucun-
ditatem & suauitatem, non immeritò à nobis primò conside-
randa suscipitur.

3. Cum progressus in disciplinis, hoc remorari plurimum
soleat, si satis acutè non constet, in quo genere rerum dispu-
tatio, quæ suscipitur, versetur: Huius scientiæ subiectum, pri-
mò à nobis considerari debet. Nam ignorato subiecto igno-
ratur finis & natura rei.

4. Verùm antequam subiectum aliquod certum statua-
mus, quot modis subiectum dicatur, inquirendum est. Primò
est subiectum prædicationis, quod in propositione prædicato
subijcitur. Secundum est inhætionis, cui adiunctum seu ali-

B

quod

quod accidens inhæret. Tertium est attributionis, cui attribuantur ea quæ in aliqua scientia considerantur, & cuius naturam, reliqua disciplina explicat.

5. De subiecto prædicationis, hîc agere nostri non est propositi, cum id ad Logicum, qui rationem connectendi prædicatum cum subiecto considerat, pertineat.

6. Subiectum inhæſionis cum sit nimis latum, hîc nec quaerimus. Scientiæ enim proprium & adæquatum subiectum postulant. Relinquitur ergo nos hîc de subiecto attributionis meritò agere debere.

7. De hoc constituendo diuersæ fuerunt Philosophorum sententiæ, quidam Ens mobile, quidam Substantiam naturalem, quidam Substantiam sensibilem, quidam corpus generabile & corruptibile, alij verò corpus naturale mixtum.

8. Quorum omnium sententiæ cum veritatem ipsam apprehendere non videantur, à nobis reijciuntur: sed ne quis nos Sophisticæ insimulet, breuibus eas refutabimus & veritatis fundamenta aperiemus.

9. Verùm antequam illud accuratè fieri poterit, quæ ad subiectum alicuius disciplinæ constituendum requirantur, & quæ eius conditiones fuerint, operæ precium est considerare.

10. Duo sunt, quæ subiecti essentiam complent. *Res considerata, & modus considerandi.* Res considerata materiæ, modus autem considerandi formæ locum occupat.

11. His ita positis videbimus Ens mobile, quod à Thom. asseritur, non esse subiectum. Nam hîc res considerata longè angustior, quàm vt modus considerandi admittat. Multa Entia sunt quæ mobilia dici non possunt: In eo etiam peccat Scotistarum opinio, substantiæ enim multæ dantur, quæ naturales nec sensibiles esse possunt.

12. Opiniones duæ reliquæ nec veritati consonæ sunt, manifestum enim est, modum considerandi in ijs re ipsa latiore esse.

esse. Corpus enim non tantum generabile & corruptibile, sed etiam ingenerabile & incorruptibile est. Vt cœlum quod non minus considerationis Physices est, quàm reliqua corpora. Neq; etiam Physicus solum de corpore naturali mixto, sed etiam simplici agit. Cum enim res ita considerari oporteat, uti sunt, sequitur ut quia in ordine rerum naturalium etiam simplicia separatim existunt, de illis tanquam parte subiecti tractatio instituatur.

13. Fundamenta & argumentorum neruum intuentibus facile est cognoscere, nullum ex hisce priùs propositis, verum & adæquatum subiectum constitui posse. Aliud igitur nobis inquirendum erit. Verùm antequam id ea dexteritate, qua rei veritas postulat fieri poterit, conditiones subiecti, (quas in Thesi 9. promisimus) enumerabimus.

14. Conditiones subiecti distinctè à Zabarella in lib. de præcog. cap. 2. enumerantur, quarum prima est: Vt subiectum sit Ens per se subsistens. Nam quod per se non subsistit ei non quicquam attribui potest. 2. Vt sit præcognitum. Ignoti enim nulla cupido. 3. Quod sit. Non Entis enim nullæ sunt affectiones. 4. Quid nomen significat. Ignoratâ significatione, ignoratur rei natura. 5. Vt affectiones proprias habeat, propriaq; principia. 6. Vt eius conditio non alia sit, quàm prout omnibus quæ in illa scientia traduntur, tanquam fundamentum & basis substernitur. & non ut alteri inhæreat.

15. Hisce enumeratis & proprietatibus fideliter perpen-
sis, videbimus nihil (facto initio à prædicamento substantiæ à primo & vniuersalissimo termino Ente nimirum) præter corpus occurrere cui hæ conditiones iure & meritò compe-
tere possunt.

16. Corpus ergò prima subiecti pars materiæ locum occu-
pans erit cui si modus considerandi (qui formæ loco est) adij-
ciatur verùm & adæquatum subiectum habebimus, nimirum

corpus quatenus habet in se principium motus, siue corpus quatenus est naturale.

17. Quod quidam addunt corpus quatenus mobile, id magna difficultate non caret. Inter omnes quidem constat sola corpora esse mobilia. Verum Physicus corpora naturalia non tantum ut mobilia, sed etiam ut quiescibilia considerat, horum verò alterum sub altero contineri non potest, utrunq; tamen rectè sub naturali comprehenditur. Ergò naturale cum corpore coniunctum verum & adæquatum subiectum constituit.

18. Vero & adæquato inuento subiecto, proximum est ut definitionem veram adhibeamus. Physica est corporum naturalium scientia, quæ eorum principia inquirat, & affectiones ex iisdem demonstrat.

19. Scientiam esse inde liquet, quia rerum naturalium principium non est in nobis, ut pro nostro arbitrio in eas agere possimus: Sed in natura per certas causas quæ solummodo scientiam pariunt operante. Licet aliquando propositiones quædam quæ ibi tractantur non sint admodum necessariae semper, sed plerunq; ut hæc *in hyeme sunt pluvia*, quarum scientia est certa, sed non semper: Tamen scientia esse non desinit, *non enim omnes scientiæ aequalem habent certitudinis gradum.*

20. Scientiam præterea esse speculatiuam non adeò dubium est, præsertim cum eius scopus non sit operari sed tantummodo rerum naturalium causas perscrutari & scire.

21. Definitione posita rei ordo postulat ut diuisio subiungatur, Physica igitur in duas partes principales diuiditur. Communem sc. & propriam. Communis quæ in communissimis corporis naturalis principijs causis & affectionibus, occupata est, quæq; octo libris Acroamaticis ab Aristotele absoluitur. Propria quæ singulas corporis naturalis species earumq; affectiones & proprietates explicat.

22. Cum

22. Cum autem omnis scientia *ἀναγομένη* à suis principijs seu causis initium sumere debeat, quia tum demum res cognoscere dicimur, cum primas causas, primaq; principia cognouerimus, rectè igitur Physicus à suis principijs & causis exordium sumit.

23. Insita est nobis à natura via progrediens à notioribus secundum nos, ad notiora naturæ. Ignotum enim ignotius non demonstrare (quid dum declarare) potest.

24. Confusa & quæ sensui sunt propinquiora sunt priora quo ad nos, vt Elementa & principia, id est, partes quas totum in se confusè cohibet, ex diuisione totius innotescunt.

25. A confusis igitur seu vniuersalibus in quibus partes tanquam in toto comprehenduntur, initium sumendum est. Nam vt se habet sensus ad omne sensibile, sic proportione quadam intellectus ad totum intelligibile. Totum autem sensibile notius est sensui, quàm singulæ partes. Ergò & idem fit in intellectu, scil. vniuersale respectu singularium est totum quoddam intelligibile, Ergò est notius quàm singularia.

26. Vt igitur à principijs auspicemur antiquorum opiniones necessum est examinemus, vt (falsa sententia reiecta) facilius naturam & numerum principiorum inuestigemus.

27. Ardua & difficilis de illis quæstio est. Nam vt nemo fuit qui principia esse dubitauit, sic pauci aut nulli qui de principiorum numero aut naturâ consentirent reperti sunt.

28. Quicumq; igitur de principijs aliquid differuerunt, illud aut vnum fecerunt aut plura: Eaq; aut finita aut infinita. Qui vnum posuerunt principium, aut immobile illud, aut (qui magis ad rerum naturalium considerationem inclinare videbantur) mobile. Qui plura & finita aut duo aut tria aut numero alio: qui plura & infinita aut generis eiusdem, sed specie & figura situq; diuersa: aut genere etiam differentia & inter se pugnantia constituerunt.

29. Parmenides, Melyssus & Xenophanes omnia quæ in rerum natura essent id Ens immobile fecerunt. Parmenides ad formam quæ terminos & limites materiæ præscribit, respexit finitum: Melyssus paulò durius cum antiquioribus Philosophis ad materiam respiciens infinitum.

30. Hi cum generationem & motum è naturâ tollant de rebus Physicis parum commode videntur loqui. Contra eos itaq; Physici disputare non est, sed supremi Philosophi, qui habitu Metaphysicæ *Entis & unius* significationem generalem inquirunt & demonstrant.

31. Cum Ens de summis generibus, scil. substantia; Quantitate, Qualitate & c. dicatur, quando dicunt omnia esse vnum *ENS*, necessum est vt intelligant aut Ens de omnibus generibus aut de aliquo saltem in specie. Si prius nulla evidens ratio id admittit. Nam siue hæc genera congregentur siue disgregentur, semper differunt aut realiter aut ad minimû ratione. Si aliquid in specie, aut erit substantia sine accidentibus aut accidens sine substantia. Quomodo substantia sine accidentibus cum ei finitatem & infinitatem quæ sunt affectiones ex quantitate dependentes, tribuant. Nec accidens in substantia: Quia id omni veritati repugnat. Nam accidentis esse tantum est inesse. Ergo nulla ratione sententiâ suam tueri possunt.

32. Deinde & significatio *unius* eos falsitatis conuincit, cum principium dicunt esse vnum, vel intelligunt vnum continuum vt magnitudinem; vel vnum quid diuisionis expers vt punctum, vel vnum essentia. Si vnum continuum, tunc eo ipso concedunt plura actu vel potestate, cum omne continuum infinite secari possit. Si vnum indiuisibile negant quantitatem & qualitatem ei adhaerentes & per consequens, finitum & infinitum, & sic penitus eorum positio corrumpitur. Si vnum essentia, tunc omnia disparata & contraria eandem haberent essentiam & definitionem, quod est valdè absurdum.

33. Reli-

33. Reliqui qui ad rem propius accessisse videntur soli materiei ita adhærebant vt aliud præterea principium non inquisierint, id enim ex quo omnia essent & ex quo primo fierent & in quod vltimum quidem substantia permanente affectionibus mutatis dissoluerentur, id (inquam) Elementum & principium rerum adserebant, vt Thales aquam, Heraclitus ignem, Anaximenes aërem; aut aliquod corpus prius Elementis vt Anaximander. Qui omnes à veritate ipsa longè decedunt, ex vna causa non fit motus, sed vna in aliam agit. Et vnum principium non potest sufficere ad specierum & rerum essentia diuersarum generationem conseruandam.

34. Thales Milesius qui aquam principium fecit, ea adductus ratione, quod humidum sit alimentum omnium, caloremq; ipsum ex eo gigni & animal hoc eo ipso viuere animaduertit. Heraclitus & Hipparcus Metapontinus ignem eo fortasse, quod & subtilissimus esset, & facilis velocissimiq; motus. Verùm quia hi ex Elementis principia desumunt ea corruptibilia faciunt, (nam omnibus euidentissimum est Elementa inter se transmutari) cum tamen principia permanere, aliàs principia non fuerint oporteat.

35. Qui corpus aliquod Elementis prius præter Physicum aut Mathematicum ponunt, in nodum quod dicitur in Scirpo quærunt, & illud quod nunquam inuenient, nec vnquam demonstrare possunt.

36. Infinita principia asseriebant Anaxagoras & Democritus. Anaxagoras enim ex atomis, id est, infinitis particulis indiuisibilibus vnâquamq; rem componi existimabat; Eas autem esse diuersæ naturæ & essentiæ, primumq; inter se confusas & permixtas quam confusionem chaos seu *πῆσσεια*, id est, omnifemineum appellauit, generari verò vnumquodq; *συνερισσῆ* & *διακρισῆ*, id est, coniunctione & disunctione. Quoties enim plurimæ partes eiusdem naturæ & essentiæ, puta
carnis

carnis aut ossis, quas *ὁμοιωμεπέρις* vocauit, concurrerent, carnem aut ossa fieri censebat, non quod ex illis similibus particulis tantum vnumquodq; extaret, sed quod illæ in composito preuvalerent, & maximè in conspectum venirent, & sic omnia esse in omnibus.

37. Cuius etiam sententia rationi maximè contraria est, nam cum principia faciat infinita principiata quoq; infinita erunt, & sic omnis tollitur cognitio; Cum infinitum pertransiri & cognosci nequeat. Caterùm quod totum integrale sit in omnibus partibus est maximè absurdum, tunc sequeretur totum mundum esse in paruo capite, quod & parum sapiens illum falso dixisse satis confiteri poterit.

38. Atomos infinitas principia esse etiam statuit Democritus, sed multo maiori cum absurditate quàm Anaximander, is eas infinitas & indiuisibiles, hic verò infinitas sed diuisibiles, & quod fortuito concursu inter se conglobarentur, fecit, quod implicationem contradictionis in adiecto demonstrat. Nam omne diuisibile est quantum, Omne autem quantum materiatum, materia autem nulla infinita, quia quod materiã habet est naturale, natura verò ab infinito abhorret.

39. Tollerabilius errarunt qui plura sed finita principia fecerunt, Plato magnum & paruum, Pythagoras par & impar, Parmenides vnum quidem immobile secundum rationem, calidum verò & frigidum secundum sensum. Empedocles quatuor Elementa, quibus pro causa efficiente litem & amicitiam adiecit. Quorum omnium error ex veræ sententiæ explicatione manifestabitur.

40. Verùm hi omnes vt vt de principijs statuerint, in illis tamen aliquam esse contrarietatem omnes ferè, quanquam non optima aliqua ratione ducti, sed veritate ipsa cogente, affirmarunt. Quare cum (vt Aristoteles asserit) non omnino ea fama vana sit, quæ à multis celebratur, verisimile est, cum tan-
tus ea

tus ea in re veterum sit consensus, contraria esse rerum naturalium principia.

41. Et illud nequaquam sua ratione caret, cum definiantur principia quod neq; ex se inuicem, neq; ex alijs fiant, sed ex quibus reliqua omnia. At prima cōtraria huiusmodi sunt, merito ergo ea rerum naturalium constituuntur principia.

42. Quod principia contraria sint, illud euidenti inductione satis monstrari potest, nam in omni rerum generatione manifestum est, non quoduis agere in quoduis, nec quoduis à quouis pati, nec quodlibet fieri ex quolibet (nisi ex accidenti) sed ex eo quod potentiam se habet, vt res aliqua inde producat. Ita animal fit ex non animali, non verò quolibet, sic ex lapide quoq; fieret, sed ex eo quod potentiam habet vt animal esse possit; ita vt non quoduis ex quouis generatur, sic & non in quoduis interit, sed in suum contrariū; Album enim quando corrumpitur, in non album, id est, nigrum seu colorem intermedium euadit, ita animal in non animal interit, nō quodlibet, sed ad quod potentiā habebat, nimirum cadauer.

43. Verū vt res manifesta euadat, hīc contraria non sumimus in propria significatione, sed communissimè pro omni oppositione, siue ea sit reuera siue apparens.

44. Hinc Aristoteles duo statuit prima contraria (quæ nos principia esse diximus) non quatuor, eo quod in vnoquoq; genere prædicamentali, vna quoq; tantū reperiatur cōtrarietas.

45. Cuius autem prædicamenti contrarietas hīc accipienda sit, ei manifestum euadit, qui considerat cuius rei hīc principia quærimus. Quia enim hīc corporis naturalis principia quærimus, in eo igitur prædicamento in quo corpus naturale locum habet etiam primam contrarietatem accipiamus necessum est.

46. Corpus verò in substantiæ prædicamento locum obtinet, quia per se subsistit & accidentia seu passiones in se recipit,

C

cipit,

cipit, in substantiæ ergo prædicamento contraria prima quæramus.

47. Prima contraria communissima esse debent, vt ab alijs communioribus non contineantur, ipsa verò reliqua omnia complectantur.

48. In prædicamento substantiæ plurima contraria occurrunt, rationale, irrationale, sentiens, non sentiens, animatum, inanimatum, corporeum, incorporeum: Quorum tamen nulla reliqua omnia contraria continent. Neq; tanquam communissima principia rebus naturalibus omnibus competunt & ob id earundem principia dici non possunt.

49. Relinquitur igitur oppositio formæ & priuationis quæ vt communissima, reliquas omnes complectitur, & rebus omnibus generabilibus & corruptibilibus conuenit. Quare formam & priuationem prima contraria & rerum naturalium prima & communissima principia cum Aristotele statuimus.

50. Quia contraria iuxta se posita magis elucescunt operæ pretium facturi si difficultates præcipuas quæ ex prius propositis oriri solent explicemus. Primò igitur quis nos contra veritatem statuere dicat, cum principia ex se non fieri dicamus, & tamen formam scimus educi è potentia materiæ.

51. Verùm vt ex fundamentis hunc nodum dissoluamus quot modis aliquid ex aliquo secundum Philosophos fieri dici soleat, enumeremus. 1. Aliquid ex aliquo fieri dicitur tanquam ex termino à quo fit motus, qui modus à Philosophis vocatur terminatiuus, siue aliquid fieri terminatiuè vt ex aqua frigida fit calida ex die fit nox, ex puero fit vir. 2. Aliquid dicitur fieri effectiuè, id est, tanquam ex causa efficiente, vt ex homine fit homo, & ex animali animal. 3. Aliquid dicitur fieri ex parte componente & permanente in re iam facta vt ex ligno fit Mercurius, & hoc dicitur fieri constitutiue.

52. His enumeratis dicimus aliquid ex aliquo fieri (quod in prin-

in principiorum definitione ponitur) sumi in tertia significatione, ideoq; licet forma educatur de potentia materiae, non tamen dicitur fieri ex materia vt eam intrinsecus componente, sed potius cum materia comproduci, & producere compositum. Alterum enim alterius principiandi munus adiuuat, vt enim materia formae subiaceret, ita vicissim forma materiae certam circumscriptionem & limites ponit, & π δὲ π siue hoc aliquid cum ea constituit.

53. Secundo aliquem & hoc mouere maxima ex parte posset, quia diximus, omnia ex suo contrario fieri debere, & postea principia non fieri ex se inuicem, quia sunt contraria. Verum hic nodus non adeo intricatus est vt aliquem senerè mouere debeat. Hic enim est fallacia æquiuationis, nam quando contrarium dicitur fieri ex contrario id primo modo est intelligendum, fit enim ex eo tanquam ex termino recedente; Quando verò negatur contrarium fieri ex contrario, id tertio modo accipiendum est. Nam contrarium non fit ex contrario vt ex parte constituyente cum contraria simul consistere non possint, item alio modo considerantur contraria in concreto, alio in abstracto, si abstractè sumantur, contrarium ex contrario non fiat, non enim fit calor ex frigore. Si verò concretè sumantur contrarium ex contrario fieri potest, vt album ex nigro, idq; non ob ipsa contraria, quam beneficio materiae, quæ vtriq; substrata, vtrunque per vices suscipere apta est.

54. Atq; hinc patet principia contraria esse debere, an verò duo illa contraria à nobis posita sufficiant, an verò is numerus augendus sit indagandum erit.

55. Contraria sola non sufficere hinc liquet, quia contrarium, contrarium producere non potest, naturam enim habent sibi inuicem aduersissimam, magisq; ad interitum quam coitionem, & coalitum mutuam procliuem.

56. Præterea principia mutuo congressu debent constituere substantiam, contraria sola non constituunt substantiã, igitur sola contraria principia esse non possunt.

57. Maioris euidencia hinc apparet, quod nisi principia substantiam constituerent, essent aliquid substantia posterius eiq; inhærens siue accidens substantiæ. Substantia autem cum sit prior accidente, eius quodammodo principium, sequeretur aliud esse principij principium, hoc verò dictu absurdum est, absurdum ergo illud ex quo sequitur, nimirum principia talia esse, quæ substantiam non constituent.

58. Itaq; cum sola contraria rerum naturalium principia esse non possint, necessum est tertium aliquod dari, quod sit tanquam subiectum contrarietatem hanc sustinens, & nemini ex his tamen contrarium, sed cum forma coniunctum compositum constituens.

59. Euidentiſsimè igitur in vniuersum rerum naturalium principia tria constitui possunt, duo contraria scilicet *Forma & priuatio* & vna materia. Plura principia dare rationi nequaquam conuenit. Si enim plura quis quæſierit, ea vel in subiecto medio seu materia vel in contrarijs: Sed neutrum fieri potest. Nam si duæ materiæ constituentur quæri posset an contraria ex vnaquaq; materia indifferenter omnia corpora naturalia producere valeant; An verò certa quædam ex hac, certa & determinata ex illa. Quod si primum affirmetur, sequeretur alteram esse frustra. Si enim natura ex vna materia omnia educeret, altera non fore opus manifestum est. Si verò posterius, sequeretur materiam non esse communem. Materia enim omnium rerum naturalium prima & communis hîc inquiritur. Quare materiæ plures constitui non possunt.

60. Neq; etiam plura contraria esse possunt. Nam si quatuor contraria ponamus tunc necessum est, vt detur aut aliqua communis, aut particularis materia ei subiecta. Non posterius;

sterius; Quia sufficienter probatum est non dari præter vnã
materiam primã & communẽ & quia communis aliqua
erit, adhuc de ea quæritur, an vtraq; contrarietas omnia ex
ea efficere valeat? An vna certa & determinata quædam, & al-
tera similiter. Si prius tunc altera ponitur frustra. Sin poste-
rius, sequeretur contraria non esse prima neq; communia o-
nium rerum naturalium principia qualia hîc inquirimus. Re-
linquitur ergo tria tantum principia ad omnium rerum gene-
rationem sufficere.

61. Haftenus tria debere dari principia demonstrauimus,
nunc de transmutatione, in qua eorum mutuus respectus lu-
culenter conspicitur, reliquum est vt agamus.

62. Si omnes varietates mutationes & motus perspicimus,
aliquod subiectum his substerni, necessario videbimus, cum
statuarius ex ære statuam, tornarius ex ligno poculum confi-
cit, aliquod subiectũ in quo hæc fiant semper necessariò quæ-
runt. Quare multis collectis singularibus, vniuersale tan-
dem constituitur, omnis transmutatio aliquod subiectum
certò postulat.

63. Transmutatio alia simpliciter fieri dicitur, qualis est
substantiæ; Alia non simpliciter qualis est accidentis. In acci-
dentib⁹ manifestior est, quia omnia accidentia quando trans-
mutantur in aliquo subiecto ea transmutari videmus. Subie-
ctum illud substantia prima est, quæ hæc accidentia sustinet.

64. In substantijs non adeò euidentis est; Quia hæc in sensus
non incurrunt, sed quia certò substantias transmutari cogno-
scimus, necessariò etiam eis aliquod transmutationis subie-
ctum demus, id autem primæ substantiæ esse non possunt nam
illæ intereunt. Ergò cum intereant subiectum in quo trans-
mutentur seu intereunt, requirunt.

65. Verum vt rectius, quod à nobis dictum est, intelliga-
tur, transmutationum genera percenseamus quæ quinq; sunt.

1. Quædam μεταμορφώσις, id est, transfiguratione fiunt, vt ex ære fit statua. 2. Quædam πρόσθεσις, id est, appositione, vt ex appositione particularum fit caro &c. 3. ἀφαιρέσις, id est, subtractione, vt ex lapide Mercurius. 4. Quædam σύνθεσις, id est, compositione vt domus. 5. Quædam ἀλλοιωσις, id est, alteratione, quæ vel secundum substantiam, vel accidentia transmutantur. Hæc omnia transmutationum genera, vt perficiantur, aliquod subiectum requirunt. Quæ igitur est stoliditas, materiam primam in qua omnium substantiarum primarum transmutatio fieri debet, negare, & naturam præter omnem rationem & veritatem æqualem Deo constituere.

66. Materiam primam dari iam demonstratum est, sed quia ea cum principijs reliquis sua non caret difficultate præcipuè propter imperfectam eius existentiam, aliquantò accuratius eius natura nobis introspectenda videtur.

67. Quæ eius essentia & materia fuerit non adeò facile est cognoscere, præsertim cum actu & forma, quæ cognoscendi ratio est destituta sit, cognoscitur tamen per analogiam seu similitudinem, vt enim se habet materia secunda ad omnes res arte faciendas; sic se habet materia prima ad omnes formas substantiales. Euidens enim est materiam secundam esse tantum in potentia ad eam formam, quam introducere statuit artifex; Ita se habet materia prima, eam informis est & ab omni forma naturali libera, sed in potentia ad omnes formas naturales suscipiendas.

68. Materia prima in duplici notione idq; meritò considerari solet. Vna qua materia absoluta & sine alicuius respectu vt est Ens quoddam; Altera qua vt habuerit respectum ad aliud nimirum vt rerum naturalium principium sit seu vt subiectum generationis & corruptionis.

69. In prima notione consideratur, quod neq; sit Quid, neq; Quale, nec Quantum, nec quicquam reliquorum Entium, sed

sed omnia ex accidente, cuius consideratio ad primum Philosophum, qui Ens prout est Ens considerat, pertinet.

70. In secunda notione consideratur ab Aristotele quod sit subiectum vniuscuiusq; ex quo fit aliquid, cui in fit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abit vltimum, quæ materiae consideratio propriè ad Physicum, qui motus naturam inquirat, spectat.

71. Dinstinctio hæc propterea necessaria est, vt intelligatur qua ratione attributa materiae quæ varia sunt ei secundum primam & secundam notionem rectè competere possint.

72. Attributa materiae in prima notione ad Physicum considerare non pertinet, sed tantum ea, quæ ei in secunda notione competunt. Tribuitur materiae potentia, per quam & esse creditur. Nisi enim potentiam habuisset, formas suscipere nulla ratione posset.

73. Potentia ea duplex; Vna vniuersalis, altera particularis; Vniuersalis est propensio seu inclinatio materiae ad omnes formas indifferenter recipiendas. Particularis quæ certam tantum & determinatam formam respicit; Hæc prioris quasi quædam restrictio est; Materia enim æqualiter omnes formas respicit, sed restrictio hæc fit ab agente externo, materiam ita præparante, vt certam tantum formam recipere apta sit.

74. Secundum materiae attributum, vt fit ingenerabilis & incorruptibilis. Si enim generaretur, ex alio quodam generaretur necessum esset & hoc præter materiam esse non posset, tunc duplex sequeretur absurditas. 1. Materiam esse antequam fieret, nam alteram priorem ex qua altera oritur præexistere oporteret altera nondum nata. 2. Progressus fieret in infinitum.

75. Neq; tamen hic constituimus materiam esse æternam siue æqualem Deo & principium non habere; Sed creationis
quod

quod super naturale est ei principium, non autem generatio-
nis quod naturale est tribuimus.

76. A Deo enim creata non seorsim sed vnà cum & in illis
ipsis rebus tanquam pars constitutiua est.

77. Deus enim rebus creatis indidit virtutes rerum pro-
ductiuas, eæ tantæ esse non debuerunt vt res similiter ex nihi-
lo producerent, tum enim natura æqualis fieret Deo. Ergo
materiam tanquam Ens quoddam imperfectum rebus subie-
cit, quod agenti naturali, quædam quasi operis esset inchoatio
quod agendo & formã introducendo ipsum agens perficeret.

78. Tertium materiæ attributum est appetitus, quo inde-
finenti desiderio, quemadmodum turpè pulcrum, formam
tanquam suam perfectionem appetit. Ideoq; necessariò con-
stituenda est priuatio materiæ semper coniuncta; Nisi enim
materia priuata esset nihil ex ea generari posset.

79. Est necessaria non tanquam constitutio quædam, sed
tanquam adiutrix, materiam in generatione adiuuans & vt
terminus generationis à quo mutuum in generando sibi auxi-
lium præstat.

80. Priuatio est contrariũ ex quo resedente res fit siue ab-
sentia formæ in materia, cum potentia siue aptitudine ad Ens.

81. Priuatio dicitur non Ens per se, sed tamen non est pla-
nè nihil, neq; pura negatio, sed cum negatione aptitudo ad
formam. Negatio solummodo aufert nihil ponit. Priuatio
solummodo formam certam aufert & ponit subiectum aptum
ad recipiendum aliam.

82. Priuatio duplex est, alia vniuersalis, alia particularis;
Vniuersalis qua reliquis omnibus materia vnã cum habue-
rit priuata est; Particularis est certæ & determinatæ formæ
absentia.

83. Vltimum principium quod forma dicitur, est quod cum
materia coniunctum, essentiam rerum naturalium constituit.

84. Nos

84. Nos hac simplici cognitione, quod sit rerum naturalium principium contenti, proprietates eius, qui quæsiuerit, eum ad primum Philosophum, cuius hoc proprium munus est, remittimus.

85. Atq; hæc de scientiæ rerum naturalium subiecto, definitione, diuisione, & principijs sunt, quæ ex præstantissimorum Philosophorum monumentis, in medium adferre statuimus, si in quibusdam à veritatis tramite aberrauimus, nos informari petimus. Nam homines sumus & nihil adeò certum est, quin sub disputationem cadat, aut quod aduersarius in malum sensum non retorquere possit.



COROLLARIA.

An contraria sapientiæ reuelatæ, sit doctrina de principijs rerum naturalium quam tradidit Aristoteles? N.

Vtrum omnes rerum quæ mundo iam continentur species ipso creationis momento actu extiterunt, an verò nonnullæ potentia?

An cælum & terra ex aquis sint tanquam ex primis principijs?

An principium verè & sufficienter diuidatur in principium essendi & cognoscendi?

An vllius principij cognitio sit homini innata?

Vtrum forma substantialis sit substantia incorporea aut corporea?

An

An forma substantialis rectè distribuatur in naturam & animam?

An vlla anima sit substantia corporea?

An priuatio semper præsupponat habitum?

An priuatio suscipiat magis & minus?

An omnis priuatio sit præter naturam & adiunctum contingens?

An detur medium inter priuationem & habitum?

Vtrum primi parentes in statu integritatis immortalitatem habuerunt ex natura, an verò ex superabundanti gratia, vt loquuntur Scholastici?

An candidi sit hominis aliquem licet ex parte verum habuerit calumniari? D.

Vt qui ingenij amore lapsi, excusandi an reprehendendi sint? Respondet Plutarchus admonere nos debuerat (inquiens) lenitatis, humanitas maiorum, quos propè Mercurij statuam Gratiarum imagines collocasse Herodotus prodit fauendum sc. delictis illorum arbitrabantur, quos ingenij amore lapsos constabat. Quanto enim hi proniores errori, tanto paratior ijs apud omnes venia, & ignoscendi studium esse debet.

REGVLA VITAE PHILOSOPHICA.

Conturbare caue, non est placare suaue,
Diffamare caue, nam est reuocare graue.

F I N I S.

94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



5b.


V47

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
Campus in Berlin-Potsdam
Via Lorenza kam für die



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formavit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio uerbi:
ut scilicet prius ipsum inciperet me-
te quam carne. Mutans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni ve-
beram. Que bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerit conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. Que cum gratia plena sit.
prius etiam quam concipiat: post concep-
tionem quantum dei habundat gratia
quis cogitare possit? Unum ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uere gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbre perfusa est omnis
creatura. Que celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fidei
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. Dicitur
quoque ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimplet
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clausula
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
Licet enim iam eam in uirgine: non enim
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. Hec etiam sola per-
omnibus mulieribus et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. Cum bene
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei quod ait In dolo par-
tes: uirgo maledictioni legis non
erat. maledicta sterilis: sed inania
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. Unde
ipsa primicia uirginum dum primo
uiginitate sua de obtulit. maledic-
tionem legis aboleuit: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. Et notandum
quod super hac saluationem nunquam ho-
mo peruenire ualebit: nec alius
excellens dulcis et gratiosus uirginum
uigine salutem potit: quam dicitur sa-
luatioem quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. In quo
uobis singulis dulcissima implen-
tur mysteria. Nam deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset inuis ab omni uer-
tate uirginum que filia



tionum Physicarum
E C V N D A.

De
N T I Æ R E =
T V R A L I V M, S V B =
E F I N I T I O N E, D I V I =
e a r u m q; p r i n c i p i j s,

Ad quam
c i l i a n t e D E O,
c l y t a I V L I A,
S u b P r æ s i d i o
N O N I S I O N A E
D E R I S V E C I.

Respondebit
A S A R C H R I S T I A N I
e d t l i n g e n s i s S a x o.

u s t i h o r a & l o c o c o n s u e t i s.

L M A E S T A D I I,
A C O B V S L V C I V S, A n n o
c l o I o c v.

